

X. Ex occasione thematis: *In domo Patris mei mansiones multae sunt*, ostendi potest, quemvis in statu suo perfectum fieri posse, id quod triplici ex capite ostendi potest. 1^o Quia Christus omnes ad perfectionem invitavit dicens: Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est. 2^o Ex natura perfectionis, quae in charitate consistit, quam simplex anus tam bene exercere potest, ac doctissimus quisque, ut olim S. Bonaventura Fratri Egidio dixit. 3^o Ex revelationibus variis, quibus revelavit Deus, aliquos saeculares in meritis Sancto Macario, Santo Paphnutio similes fuisse. Excitantur proinde Auditores, ut illud Siracidis sibi dictum putent: Confide, et mane in loco tuo, quia facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.

XI. Ex occasione thematis: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, ostendatur, cor humanum per nullam rem creatam satiari posse, ut ex exemplo Salomonis patet, qui non prohibuit cor suum, quoniam voluptate frueretur, et tamen in iis non nisi vanitatem, et afflictionem animi reperierit. Dein ostendatur, solum Deum satiare cor humanum posse; capacem namque Dei, quidquid Deo minus est replere non potest. Hinc cor triangulare singillatim factum est, ut innumeretur, illud non per rotundum mundi globum, sed per solam Trinitatem, satiari posse. Vide Fabrum conc. vi. et conc. vii. Item tit. Gaudium.

XII. Ex occasione thematis: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam*, ostendatur, cur Deus toties non exaudiat preces, nimirum; 1^o Quia male petunt homines, ut in concupiscentiis suis insument. 2^o Quia opponunt nubem peccati. 3^o Quia Deus differt dona, ut magis grata efficiat. vide tit. Oratio.

PRO FESTO ASCENSIONIS CHRISTI.

I. *Assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei.* MARC. XVII. Ex occasione hujus textus explicari potest ceremonia Ecclesiae; qua in festo Ascensionis effigiem, seu statuam Christi in altum atrahi curat. Dicatur ergo 1^o Statuam per funem atrahi, ut indicetur charitas Dei erga nos promittentis per OSEAM c. xi. In funiculis Aedae traham eos, in vineulis charitatis. Unde Christus LUC. X. Quærenti, quid facere debeat ad aeternam vitam possidendam, respondit: Diliges, etc. Ostendatur ergo, quam suave sit, et efficax hoc

medium, quid enim dulcius, et naturale magis quam amare, praesertim infinitum bonum, etc. 2^o dicatur, Statuam illam rubro vestimento esse vestitam, et vulnerum cicatricibus conspicuam, sicut insinuat, quod Christus Discipulis in Emmaus euntibus dixit LUC. XXII. Nonne oportuit, etc. nimirum constituta lex est; Quoniam per multas tribulationes, etc. ACTOR. XXIV. Haec via est, per quam caput intravit in caelum; per eandem ergo et membra intrare debent. Hinc Thomas Kemp. Lib. II. cap. I. Sustine cum Christo, et pro Christo, si vis regnare cum Christo. Dicatur ergo quisque cum eodem auctore lib. III. c. LVI. Domine Jesu, sicut dixisti, etc. 3^o Statua vexillum in manibus habet, ut indicetur, neminem coronatum iri, nisi qui legitime certaverit. II. ad TIM. II. hinc APOC. III. dicitur: Qui vicerit, dabo ei sedere, etc. Hostis autem, quem vincere debemus, sumus nos ipsi. Non enim est peior animæ hostis, etc. Hinc Thom. Kemp. loc. cit. cap. III. ait, Hoc deberet, etc. 4^o Angeli utrinque stipant statuam, ut indicetur, per eos animas nostras in caelum introducendas esse, juxta illud EXOD. XXIII. Ecce ego mitto Angelum meum, etc. sic Lazarus, portatus, LUC. XVI. sic Christus LUC. XV. dicit: Dico vobis, quod ita gaudium erit, etc. unde audiendum monitum in cit. loc. EXOD. Observa eum, et audi vocem ejus, etc. 5^o Per foramen angustum statua attrahitur, ut indicetur, quod Christus MATTH. VII. dixit: Intrate per angustam portam, etc. unde divitiarum sarcina abjicienda, affectu saltem, si effectu non licet, nam dives difficulter intrabit, etc. ut MATTH. X. dicitur. 6^o Hostiae deiciuntur, ut indicetur, quod Ecclesia hodie canit: Ascendens Christus, etc. dedit dona hominibus. EPH. CAP. IV. unde credendum, quod homie Christus dicat: Usque modo non petistis, etc. Jo. XVI. quid autem petendum sit, Eliseus exemplo suo docuit, petens ab Elia in altum evecto: Obsecro, fiat in me Spiritus duplex tuus. IV. REG. II. nempe ut declinemus a malo, et faciamus bonum. Sic enim David. suavit. PSALM. XXXVI. Quis est homo, qui vult vitam, etc. Excitantur ergo Auditores, ut ceremoniam hanc ita aspiciant, ut indicatum fructum quoque referant, sicut cum Christo vivant in terris, ut cum eodem etiam ad caelos ascendere mereantur. Vide pro hac materia tit. Crux.

II. *Euntes in mundum universum predi-*

cate Evangelium omni creature. MARC. XVI. Dici potest Christum fecisse, quod duces belli recuperata famosa civitate solent: mittendo in omnia loca, qui nuntient bona nova de reducta in potestatem civitate. Fecisse autem hoc non tantum ut gaudeamus, sed etiam ipsi expugnare conentur, nam regnum caelorum vim patitur. MATTH. II. Dicatur ergo Concionator, se ostensurum, quomodo expugnari debeat, nempe 1^o per vinculos humilitatis; sic enim Christus humiliavit semetipsum, etc. hinc S. Paulus EPH. IV. Quod autem ascendit, etc. Vide tit. Humilitas. 2^o muros concutiendo globis orationis, sic Christus integras noctes consumpsit in oratione, ubi Rosarii globulis commendandi, vide tit. Oratio. 3^o Scalas admovendo mandatorum Dei. Sic Christus: Descendi, etc. Jo. VI. Hinc quaerenti, quid facere deberent pro vita aeterna obtinenda, respondit: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, MATTH. XIX. hinc pulchre Eusebius Emyssenus: e Si unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, et eminentia dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quoad superiora consendat. Sublimabunt nos, si fuerint infra nos: de nostris nobis vitium scalam facimus, si vitia ipsa calcamus. De hac scala Deus APOC. III. dicit: Qui vicerit (vicia) dabo ei sedere, etc. Hanc Jacob GEN. XXXVIII. vidit: hanc ergo applicemus, dicendo cum Psalmista CVIII. Juravi, et statui, etc. 4^o Portas confringendo, seu vim sibi faciendo, et multa patienti. Sic Christus: Nonne oportuit, etc. LUC. XXII. Hinc Thomas Kemp. I. c. XXV. Unum est, etc. 5^o Ignem injiciendo, id est, charitatem copiose ostendendo: Sic enim Christus: Majorem nemo habet, etc. Jo. XV. Hinc LUC. XII. Ignem veni mittere, etc. et S. Joannes I. c. III. Filii, non diligamus, etc. Excitantur ergo ad oppugnandam hanc civitatem, ut cum Christo ibidem aeternum vivere, et gaudere valeant.

N. B. Si omnes hos modos caelum expugnandi accipere non placet, unus ex illis eligatur, et quomodo a Christo adhibitus sit, et a nobis quoque usurpari debeat, ostendatur.

III. *Assumptus est in caelum.* MARC. XVI. Potest narrari historia de Elia in altum rapti in curru igneo, IV. REG. II. et dici, quod simili modo Christus per currum igneam charitatis erga Deum, et proximum in caelos assumptus sit, quodque nos videntes cum oculo fidei taliter assumptum, debeamus cla-

mare cum Eliseo I. IV. c. II. Obsecro, ut fiat in me Spiritus duplex tuus, eadem scilicet duplex charitas, ejus proinde necessitas, utilitas, et praestantia demonstranda. Vide tit. Charitas, et Diligere proximi.

IV. *Qui crederit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* MARC. XVI. Dici potest, non immerito aliquos quaerere, cur Christum fidem tantopere ante Ascensionem commendavit, et responderi communiter, id propterea factum, ut ostenderet, ex vivae fidei defectu potissimum impedimentum Ascensionis in caelum oriri, uti etiam S. Theresia agnovit, dicere solita, omnes imperfectiones nostras ex defectu fidei oriri: id quod enarratione impedimentorum se probaturum dicat Concionator. Et primum quidem impedimentum ac principale est peccatum mortale; unde autem hoc oritur, nisi quia vivaciter non credimus, non esse malum in urbe, quod non fecit Dominus. Vide tit. Resignatio, et tit. Voluntas. Tertium est, quia res creatas inordinate nimis amamus; unde vero hoc oritur, nisi quia firmiter non creditur Christi dictum LUC. XVIII. Nemo bonus, nisi solus Deus, tamquam fons boni. Vide tit. Deus. Quartum est, quia proximum non diligimus, ut oportet; unde autem hoc oritur, nisi quia non credimus firmiter illud Christi dictum MATTH. XXV. Quamdiu fecistis, etc. Unde excitandi Auditores, ut has praecipue quatuor veritates firmissime credant, et in mente habeant, nec dubitent, quin salvi sint futuri.

V. *Assumptus est in caelum.* MARC. XVI. Narrari potest historia Ascensionis, et inter alia dici, videri adhuc hinc vestigia Christi impressa loco, unde ascendit, eaque vestigia omni sexui, et aetati quadrare. Dicatur ergo, hanc vestigia nihil aliud esse, quam *abstine*, et *sustine*, eaque omni aetati, et sexui convenire. Ostendatur ergo quomodo hanc vestigia imitant. Vide tit. Abstinencia, et tit. Patientia.

VI. *Assumptus est in caelum.* MARC. XVI. Demonstrari potest magnitudo gloriae Christi ex tribus praecipue fontibus orta, scilicet obedientia, humilitate, patientia, juxta illud PHIL. II. Ostendatur proinde, quomodo Auditores in his Christum imitari, et majorem sibi gloriam procurare debeant.

PRO FESTO S. JOANNIS BAPTISTAE.

I. *Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium.* LUC. II. Ostendi potest,

qualem filium peperit, dicique, quod tota laus S. Joannis in compendio proposita fuerit a S. Angelo Gabriele, dum Luc. i. de eo dixit: Erit enim magnus coram Domino. Ostendatur ergo, quid sit magnum esse coram Domino, nempe multum ipsum diligere, et multum ab eo diligi; nam quantitas ejusque animæ æstimatur ex mensura charitatis, quam habet, teste S. Bernardo serm. XXI. in Cant. unde ostendatur, quomodo S. Joannes dilexerit Deum, id quod per duos actus charitatis, qui pulsus animæ vocantur, abstinentiam scilicet ab omni inordinato amore rerum creaturarum, et sustententiam adversitatum probari potest. Vide tit. Charitas, et tit. Patientia.

II. *Audierunt vicini et cognati ejus, quia Dominus magnificavit misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.* Luc. ii. Dicitur post, hodie impletum esse, quod Angelus Gabriel Zachariæ Patri prædixerat: In natiuitate ejus multi gaudebunt, Luc. i. Ostendatur in prima parte, quomodo Deus, Angeli, parentes, cognati, vicini, defuncti Patres in limbo gavisii sint in ejus natiuitate. In secunda vero parte ostendatur, quomodo et nos simile gaudium per natiuitatem spirituales seu veram conversionem ad Deum creare possimus Deo et Angelis ut patet in redeunte filio prodigo Christo (ut patet in parabola inventæ ovis) B. Virgini et Sanctis domesticis, defunctis, nobis ipsis ante, in, et post mortem.

III. *Joannes est nomen ejus.* Luc. i. Ostendatur, quam bene olim dixerit Poeta: Conuenient rebus nomina sæpe suis; idque in S. Joanne maxime apparere, eujus nomen idem significat ac gratia, quæ nihil aliud est, quam amicitia cum Deo. Ostendatur proin, quam sincerus et dilectus amicus Dei fuerit S. Joannes, idque probetur ex continua familiaritate cum Deo, dein quia omnia habeat communia, et tandem quod animam suam pro amico posuerit. In secunda parte ostendatur, quod de hac amicitia vere dicere potuerit: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: Cant. viii. nam summus illi honor et lætitia inde parta est. Excitentur proin Auditores, ut ipsi hanc amicitiam querere, aut conseruare, et augere studeant. Vide tit. Amicitia et Gratia.

IV. *Quis putas puer iste erit?* Luc. i. Dicitur Concionator, se non dubitare, quin plerique Auditorum habentium liberos cupiant de illis scire, quales olim futuri sint; id proin

se illis prædicturum, nempe tales, quales in pueritia fuerint, juxta notum illud: Quo semel est imbuta, etc. et Salomonis effatum: Adolescens juxta viam, etc. et exemplum S. Joannes, ejus vita puerilis cum virili comparetur, et quam similis fuerit, ostendatur. Dein excitentur Auditores, ut diligenter in pueritia instruant, aut instrui curent suos liberos in pietate, et timore in bonis moribus, in proficuis artibus. Vide in tit. Pietas, et Timor.

V. *Etenim manus Domini erat cum illo.* Luc. i. Dicitur potest eximiam quidem esse vitam, et opera S. Joannis Bapt. sed hoc mirum videri non debere, cum manus Domini fuerit cum illo, cui manui nihil impossibile est. Ostendatur ergo, quomodo fuerit cum illo in vita tam aspera continuanda, in excitandis hominibus ad pœnitentiam, in morte pro Christo. In secunda postea parte ostendatur, quomodo, et ipsi possint obtinere, ut manus Domini sit eum illis, si scilicet cum Davide fiant viri secundum cor Dei, et faciant omnes voluntates ejus: tunc enim implebitur promissum Dei: Oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, etc. in obtinendis bonis temporalibus, in administrandis officiis, in tribulationibus perferendis. Vide tit. Fortitudo.

VI. *Nequaquam, sed vocabitur Joannes.* Luc. i. Dicitur potest, non frustra hoc nomen ei a Deo datum esse, sed propter officium Præcursoris, quod suscepturus erat: ad hoc enim, vel maxime conducebat, ut esset sanctus, et gratus Deo, ac non tam verbis, quam exemplis prædicaret, et prædicaret Christum, et pœnitentiam. Ostendatur ergo, quomodo S. Joannes exemplo confirmaverit ea, quæ prædicavit, maxime pœnitentiam, et patientiam, et quomodo ipsi etiam Auditores exemplo magis, quam verbis, suos instruere, et erudire debeant.

VII. *Ex occasione thematis: Multi in natiuitate ejus gaudebunt.* Luc. cap. i. ostendendum, quomodo, et nos spirituale natiuitatem, quæ consistit in firmo proposito declinandi a malo, et faciendi bonum, procurare debeamus. Dein ostendatur, quale gaudium viuentes, et defuncti, præcipue vero ipse ante, in, et post mortem habiturus sit. Vide Fabrum conc. I. in hoc Festo. Item tit. Gaudium.

VIII. *Ex occasione thematis: Joannes est nomen ejus, ostendi potest, quomodo S. Joannes id, quod nomen ejus significavit,*

impleverit, et quomodo, et nos nomen in Baptismo acceptum implere debeamus, præcipue nomen Christiani. Vide tit. Christianus, et Fabrum conc. vi. n. 5.

IX. *Ex occasione thematis: Elisabeth impletum est tempus parienti, et peperit filium, ostendi potest, quomodo non tantum concipere bona proposita, sed etiam parere debeamus; ad quem finem possunt offerri adjuuenta ad bene patiendum nempe gratia Dei invocata, patrocinium Sanctorum, præcipue Beatæ Virginis, obsteritrix bona, seu auxilium Patrum spiritualium. Pariter possunt impedimenta felicitatis partus indicari, nempe appetitus noxiarum, nimis labor, et motus, nullum conatum adhibere velle. Ostendatur proin, quomodo hæc adjuuenta usurpanda, et impedimenta remouenda sint.*

X. *Ex occasione thematis: Benedictus Dominus Deus Israel, ostendi potest, quomodo pro beneficiis acceptis statim gratias agere debeamus, et quem fructum ex tali gratitudine sperare possimus. De quibus vide nos suo loco, uti, et Fabrum conc. vi. n. 7.*

XI. *Ex occasione thematis: Quis putas puer iste erit? potest ostendi, quam vere Præcursoris nomen, et officium impleverit S. Joannes Baptista. 1º Quia præcurrit efficaciter pro nobis intercedendo; non enim surrexit major, ergo nec grator ipso. 2º Præcurrit protegendo; præcipue contra vitia prædicando, et exhibendo pœnitentiam. 3º Præcurrit vitæ exemplo, præcipue innocentia, insigni contemptu mundi, humilitate, patientia, zelosa charitate, ad quas proin virtutes imitandas excitandi erunt Auditores.*

XII. *Ex occasione thematis ejusdem dici poterit, hanc questionem jam solvisse ipsum Christum, dum dixit: Non surrexit major Joanne Baptista: sed quia multi dubitabant, unde prouenit hæc majoritas, ideo hoc explicatum iri. Dicendum itaque, eam ex generosa sui victoria provenisse juxta axioma: Tantum proficiens, quantum tibi vim intuleris; unde ostendatur. 1º Quomodo sibi vim intulerit in victu, moderando. 2º In asperitate vitæ. 3º In tolerando martyrio, aliisque adversitatibus. Deinde declaratur, quomodo per hanc victoriam profecerit in gratia, meritis, virtutibus, gloria.*

PRO FESTO SS. PETRI ET PAULI.

I. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædi-*

ficabo Ecclesiam meam. MATTH. XIX. Dicitur potest, quod, sicut Carolus Imperator olim duas columnas in mari posuit, iisque inscribi curavit: Non plus ultra: sic Deus SS. Apostolis velut duas columnas Ecclesie, et fidei Catholice posuerit, iisque pariter inscripserit: Non plus ultra; credendum scilicet, quam illi verbo, et exemplo docuerit. Ostendatur ergo, quomodo fidem Catholicam non verbo dumtaxat, sed etiam opere doceant, quamque firmiter illam defenderint, si que vere immobiles columnæ extiterint, et quomodo Auditores quoque eosdem in hac firmitate imitari debeant. Vide tit. Fides.

II. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* MATTH. XVI. Potest ostendi necessitas confessionis fidei, simulque modus faciendæ professionis demonstrari, quod scilicet corde, ore, et opere sit faciendæ, exemplo SS. Petri, et Pauli: et quo cum fructu talis confessio sit faciendæ, quod scilicet verificandum sit illud Christi promissum. Qui confitebitur me, etc. Vide tit. Fides.

III. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* MATTH. XVI. Potest dici olim constantiam esse representatam per petram in mari sitam cum hæc inscriptione: Nec fulmine, nec flamine, nec fulmine: (ledor, aut dimoveor) ostendatur proin talem petram fuisse Sanctum Petrum, et probetur, quod nec a fulmine, seu fluxu voluptatibus, nec a flamine, seu ablatione bonorum, nec a fulmine minarum, quibus cruciatus, et mortem Tyrannus minabatur, dimoveri se a veræ fidei confessione sit passus; quomodo proin ipsum Auditores in hoc imitari debeant.

IV. *Tibi dabo claves regni celorum.* MATTH. XVI. Dicitur potest, hæc verba præ aliis esse observanda, utpote quæ fundamentum continent nostræ fidei; nam ex iudicis defectu necessario multas hæreses fuisse exortas, unde demonstrandum, quod hæretici non habeant verum iudicem: habeant autem Catholici, ut qui continuum successorem iudicem a Sancto Petro usque ad modernum Pontificem probare possint.

V. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* MATTH. XVI. Ostendi potest, quomodo nos ad hanc questionem responderi debeamus, et dicere ad Christum: 1º Tu meus es principalis spectator, utpote qui solus intime cognoscis actiones meas, et de his ferre iudicium potes, et cui placere plus est, quam si omnibus hominibus simul sumptis placem. 2º Tu meus es adiutor maximus; quia tu

scis, potes, et vis juvare. 3^o Tu meus es *magister optimus*, qui artem utilissimam dignissimam, et jucundissimam amandi Deum doces verbo, et exemplo, et adjutorio. 4^o Tu meus es *consolator maximus*, quia consolationes veras, solidas (id est, animum sanantes) et constantes communicas. 5^o Tu meus es *premiator maximus*; quia mercedem summam presentem, æternam offers, quæ omnia facile ex iis, quæ tit. Christus dicta sunt, probari possunt.

VI. *Tibi dabo claves regni cælorum.* MATTH. XVI. Dici potest, merito magnum beneficium collatum censi S. Petro, dum ei claves regni cælestis collatæ sunt; non minus tamen nobis etiam collatum censi posse, dum clavem penitentia nobis concede paratus est, si eam acceptare velimus. Ostendatur ergo, eam esse optimum medium cælos aperiendi. Deinde pariter demonstretur, quomodo SS. Apostoli Petrus, et Paulus eandem egerint, et exemplo præverint, et quomodo adeo nos quoque illos imitari debeamus. Vide tit. Penitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* MATTH. XVIII. potest ostendi quam firma sit petra ipsa Ecclesia, utpote tot procellis Ethnicorum, Judæorum, et Hæreticorum concussa; unde excitandi erunt Auditores, ut super hanc petram ædificent fidem, et vitam suam, certeque sibi persuadeant, quod portæ inferi non prævalerunt adversus eam.

VIII. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quomodo S. Petrus et S. Paulus Ecclesiam fundarint indefesso labore prædicationis, vitæ et morum sanctitate, virtute miraculorum, martyrio et sanguine suo. Unde more Societatis Jesu eisdem tanquam fundatoribus candela ardens, id est, ob vitæ innocentiam candida, ob virtutum colores variis depicta, et per fervorem vitæ, et boni exempli accensa offerenda est. Vide Fabrum in Sylva nova, seu Auctario.

IX. Ex occasione thematis: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ostendi possunt motiva credibilitatis, præcipue ex miraculis petita, simulque Auditores excitari, ut, sicut hanc unam esse veram fidem agnoscent, ita debitas pro ea communicata gratias persolvant, eandemque bonis operibus confirmant, et condecorant. Vide tit. Fides.

X. Ex occasione thematis: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ostendendum, quam merito

dixerit S. Theresia, omnes errores, et peccata ex defectu fidei vivæ oriri, atque adeo primo ostendatur, quid sit viva fides, scilicet ea, qua certi quidam articuli fidei in recenti semper memoria habeantur, quales sunt, Deum ubique presentem esse; omnia in bonum nostrum ordinare; tanquam fontem omne bonum continere; quæ proximo sunt, sibi facta reputare. Deinde ostendatur, quod is, qui talem confessionem facit, sit petra, seu immobilis in adversis et tentationibus futurus. Vide tit. Fides, et Tentatio.

XI. Ex occasione thematis: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* ostendendum est, cur et quousque homines curam boni nominis habere debeant, nimirum. 1^o Quia Deus exigit dicens per Siracidem cap. XII. Curam habe de bono nomine. 2^o Quia proximus exigit; nam, teste D. Augustino, due res sunt necessariae, conscientia tibi, fama proximo. 3^o Quia proprium tuum bonum exigit, quia bona fama nihil est præstantius; hinc natum proverbium: Omnia si perdas, famam servare memento, quia, ut idem Siracides dixit, hæc magis proderit, quam mille thesauri. Dein ostendatur, quomodo conservari possit, scilicet rara conversatione, cauta colloquutione, et bona operatione, de quibus vide tit. Fama et Fabrum conc. VI.

XII. Ex occasione thematis: *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, aut unum ex Prophetis*, ostendatur, quam varia sint humana judicia, atque adeo non curanda. Interdum tamen prudentes, pios, et zelos viros interrogandos: Vos autem quem me esse dicitis? Ut corrigi queant, his corrigenda videntur. Vide tit. Judicia temeraria. Item Fabrum conc. VII. n. 2. et 3.

PRO FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

I. *Exurgens Maria abiit cum festinatione.* Ltc. I. Potest dilectio B. V. erga proximum demonstrari ex tribus præcipue actibus. 1^o Quod *prompte* eam exercuerit exurgens cum festinatione. 2^o Quod *efficaciter* eam exercuerit, tum verbis, suaviter Elisabetham salutando et alloquendo, tum operibus, per tres menses ei inseriendo. 3^o Quod *constanter* illam exercuerit, nec difficultates itineris, nec molestias obsequiorum præstitorum horrendo. Dein ostendatur, quomodo Auditores quoque eandem imitari possint et

debeant. Vide tit. Dilectio Proximi, et Hyperdulia Mariana.

II. *Intravit in Domum Zachariae, et salutavit Elisabeth.* Ltc. I. Declarari potest, quos fructus afferat Visitatio Deiparæ ante, in, et post mortem; de quo vide tit. VII. Hyperdulia Mariana.

III. *Erullavit infans in utero meo.* Ltc. I. Ostendi potest, quod magni quidem, et multiplicis fuerint fructus salutationis activæ, qua B. V. S. Elisabeth salutavit; non minores tamen, nec pauciores sint salutationis passivæ, qua a nobis per salutationem Anglicam salutatur. Unde commenda istam salutationem; 1^o Ab auctoribus. 2^o A brevitate. 3^o Ab efficacia, quam habet ad impetrandas varias gratias: ad repellendos hostes: ad felicem horam mortis obtinendam; pro quibus omnibus probandis vide tit. 70.

IV. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.* Ltc. I. Ostendi potest, quomodo B. Virgo, Sancta Elisabeth ad partum felicem obtinendum juvit, ita nunc quoque ad triplicem partum felicem, corporis, animæ, animalium, agrorum, hortorum, etc. de quo vide tit. Hyperdulia Mariana.

V. *Intravit in domum Zachariae.* Ltc. II. Dici potest, quod S. Ambrosius de virginitate Deiparæ dixit: « Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque Mariæ; » hoc multo magis de Visitatione B. V. dici posse, ut scilicet ex illa tanquam exemplari discant Auditores, malas quidem visitationes devitare, bonas autem frequentare, quanam autem illa sint, in presenti concione demonstratum iri. In prima ergo parte ostendatur, quanam sint malæ visitationes, nempe diurnæ hospitiorum, nocturnæ mulierum, diurnæ, et nocturnæ simul aliorum honorum per furtum: quarum omnium visitationum damna ostendatur. In secunda parte bonæ visitationes declarantur, nempe templorum, ægrorum, purgatorii per auxilium animabus illis præstitum; quarum omnium visitationum præstantia pariter demonstratur; pro quibus dilatandis vide speciales titulos, Ebrietates, et Purgatorium.

VI. *Benedicta tu inter mulieres.* Ltc. I. Dici potest, magnum quidem fuisse hoc elogium, sed majus longe esse, quod benedicta, id est, meritis, et gloria excedens sit omnes Sanctos; hoc autem elogium vere illi convenire, ostensurum se ex presenti concione; pro quo videatur tit. Hyperdulia Mariana, et inde concludatur, quantopere

æstimanda, invocanda, et honoranda sit hæc Virgo, id quod variis sententiis et historiis ex eodem titulo desumptis probetur.

PRO FESTO SANCTÆ MARLE MAGDALENÆ.

I. *Vides hanc mulierem?* Ltc. VII. Dicat se hodie gratum spectaculum seu comediam Auditoribus representaturum, scilicet B. Magdalenam. Et in primo quidem actu *peccantem*, ut inde miserum peccatorum statum discant, et quomodo luxuria præcipue in varia peccata præcipit; pro qua assertionem probanda vide tit. Luxuria et Peccatum. In secundo *penitentem*, ut inde discant modum penitendi, et causas, ad quam probationem conducere potest tit. Penitentia. In tertio *gloriosam*, ut appareat, fructus penitentia, ubi explicari ex vita S. Magdalene possunt favores a Christo eidem post conversionem exhibiti, et per eos Auditores ad similem penitentiam animari.

II. *Lacrymis capit rigare pedes ejus.* Ltc. VII. Explicari possunt quinque fontes, ex quibus S. Magdalena has lacrymas hausit, et ipsi quoque Auditores haurire debent, quos vide tit. Penitentia.

III. *Fides tua te salvam fecit.* Ltc. VII. Dici potest, recte fidei adscribi salutem S. Magdalene, quia per eam quinque impedimenta potissima penitentia agenda removit, quæ impedimenta videantur tit. Ponit. et quomodo a S. Magdalena remota sint, et ab Auditoribus quoque removeri debeant, ostendatur.

IV. *Lacrymis capit rigare pedes ejus.* Ltc. VII. Potest lacrymarum utilitas ex comparatione earum cum variis aquis demonstrari. Et 1^o quidem cum aqua per cineres igne percolata seu lixivio, dum a sordibus peccatorum lavat. 2^o Cum aqua calidis therumarum, dum morbos radicatus curat. 3^o Cum aquis pluvii, dum fertilem reddit animum, et varios fructus producere facit; pro quo scopo vide tit. Lacryme.

V. *Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ltc. VII. Potest dici, multum quidem disputare Philosophos, an detur causalitas et prioritas mutua: in S. Magdalene tamen conversione, eandem datum fuisse merito videri posse, utpote in qua dilectio causavit remissionem peccatorum, uti ex cit. textu patet; et vicissim remissio

peccatorum causavit dilectionem, juxta aliorum interpretationem, volentium, particulam *quoniam* in textu citato idem significare ac *propterea*; unde expliciter in prima parte fusius, quam efficax medium sit dilectio ad peccata delenda; pro quo vide tit. Charitas. In secunda vero parte ostendatur, quomodo remissio peccatorum ad dilectionem merito invitet; pro quo serviat pulchram exemplum tit. Penitentia.

VI. *Hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Luc. vii. Potest demonstrari qualitas penitentia a S. Magdalena susceptæ. Quod videlicet 1º fuerit *generosa* ob insignem sui et respectus humani victoriam. 2º *Copiosa*, quia lacrymas copiosas fudit, oscula copiosa fixit, unguentum copiosum fudit, in quo imitanda per varios actus penitentia, qui tit. Penitentia explicati videri possunt. 3º *Fructuosa*, ob peccatorum remissionem; Christi defensionem contra Phariseum; multiplicem consolationem, dum quotidie per 30 annos celestem musicam audivit; frequentem visitationem, qua Christus ultra centum vias visitavit; inexplicabilem gloriam, qua ipsam post mortem donavit. Excitentur proin Auditores ad similem penitentiam agendam, ut similes fructus participare queant.

VII. Ex occasione thematis: *Vides hanc mulierem?* ostendi potest in primis, quam gravis peccatrix fuerit S. Magdalena, utpote ex qua septem Dæmonia, id est, septem peccata mortalia, ejecta sint. 2º Ostendi potest, quomodo ex occasione tantorum delictorum causam ardentissimæ dilectionis sumpserit, et vicissim dilecta sit, extraordinarios favores accipiendo, ut adeo nemo ob præteritam vitam malam desperare, sed occasionem penitentia arripere debeat, et dicere cum S. Bernardus ad Deum: « De misera vita mea sume, obsecro, residuum amorum meorum: pro his vero, quos vivendo, perdidit, quia perditte vixi, cor contritum et humiliatum non despicies. » Vide tit. Penit.

VIII. Ex occasione thematis: *Erat mulier in civitate peccatrix;* potest, S. Maria Magdalena penitentibus in exemplum proponi, quia 1º. Penitentiam cito arripit. 2º Quia intime confusa et contrita erat. 3º Quia perfecte et copiose satisfacit per asperam vitam 30 annis susceptam. et quia instrumenta malitiae in instrumenta dilectionis et obsequii divini convertit. Vide Fabrum conc. ii.

IX. Ex occasione thematis: *Remittuntur*

ei peccata multa, quoniam dilexit multum, ostendi possunt motiva, quæ S. Mariam Magdalenam ad tantam dilectionem moverint, et quamvis peccatorem movere debeant, scilicet persona offensa, persona offendens, offensa qualitas, effectus, multitudo, de quibus vide tit. Penitentia.

X. Ex occasione thematis: *Ut cognovit quod Jesus accubuerit in domo Pharisæi,* afferri possunt rationes, cum penitentia non sit procrastinanda, nimirum, 1º Quia talis dilatio periculosa est. 2º Quia valde nociva. 3º Quia numerum peccatorum a Deo definitum citius impleri faciat. 4º Quia penitentia sera raro vera; quæ omnia fusius probata vide tit. Penitentia.

XI. Ex occasione thematis: *Lacrymas cepit rigare pedes ejus,* potest ostendi, quod lacrymæ non tantum sint vinum Angelorum eisdem lætificans, majusque gaudium creans super uno peccatore, quam super nonaginta justos: sed etiam Deum, qui, teste Sancto Chrysostomo, delinquentium genitus escurit, et sicut lacrymas peccatorum: et proximos, quibus juvandum est videre fratres emendatos, et ferventes, et seipsum; est enim quædam flere voluptas. Vide tit. Lacrymæ et Fabrum conc. iv.

XII. Ex occasione thematis: *Quæ et qualis est mulier, quia peccatrix est,* ostendi potest, quod peccatores non temere judicandi nec spernendi sint ob sequentes causas. 1º Quia forte jam emendati sunt. 2º Quia forte brevi convertentur. 3º Quia forte in uno tantum deliquerunt, nos vero in pluribus. 4º Quia forte graves tentationes passi sunt. 5º Quia forte meliores resurgent. Unde merito suavit S. Bernardus: « Excusa intentionem, si opus non potes puta ignorantiam, puta subreptionem, puta causam. » Vid. hunc conceptum fusius explicatum apud Fabrum conc. vii. et tit. Judicium temerarium.

PRO FESTO S. JACOBI.

I. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, et alter ad sinistram.* Luc. xx. Potest dici, Christum quidem corripuisse matrem hanc cum filiis, quia honorem inordinate ambierunt: Concionatorem vero ipsi hodie libere concessurum, imo hortaturum, ut honores ambiant, et querant, dummodo id faciant per debitam viam et medium;

quodnam autem hoc sit, se in præsentii concione demonstraturum. Dicit ergo hanc viam perveniendi ad honores veros solam esse virtutem, uti S. Bernardus testatus est, et Romani, quorum sententia vide tit. Virtus. Id probetur amplius ex natura honoris veri, dein ex exemplis Sanctorum honoratorum ob virtutem a Deo et hominibus: pro quibus amplificandis vide tit. Virtus et tit. Fama et Honor.

II. *Nescitis, quid petatis.* Luc. xx. Potest invectio fieri in ambitionis vitium, et 1º ostendi, in quo consistat ambitio; de quo vide tit. viii. Ambitio. ostendat, quam noxium sit vitium, quia honor per illam quaesitus indebitè venit, præpropere affectatur, periculose captatur. Vide eod. tit. Ostendat unum vel alterum medium ad hoc vitium vitandum; pro quo vide cit. tit.

III. *Potestis bibere calicem?* Luc. xx. Postunt proponi motiva ob quæ libenter calicem Domini bibere debeamus; quæ vide proposita tit. Patientia.

IV. *Potestis bibere calicem?* Luc. xx. Dici potest, S. Jacobum Apostolum quidem cum fratre promptè ad hanc questionem respondisse: Possumus; verum hodie plurimos esse, qui respondeant: Non possumus: de quibus illud dictum verificatur: Et cuperunt se singuli excusare: unde excusationes eorum in concione refutare proderit, de quibus vide tit. Patientia; simulque ostendere, quomodo nullam similem excusationem S. Jacobus attulerit.

V. *Dicunt ei: Possumus.* Luc. xx. Dici potest, etiamsi multis impossibile videatur, calicem passionis bibere, et deliquium timeant, non difficulter tamen illum bibituros, et dicturos: Possumus; si spirituale myrothicon usurpent, etc. ex variis exemplis compositum, quod vide cit. tit.

VI. *Nescitis, quid petatis.* Luc. xx. Dici potest, hanc sententiam, et correptionem solis quidem duobus filiis Zebedæi, et matri dictam esse: sed hodie majori hominum parti repeti posse: quid enim plerique aliud petunt, et desiderant, nisi ut divitis, honoribus, et voluptatibus frui queant? Atqui his omnibus jure meritissimo dici potest: quid petatis; id quod per tres partes concionis agatur, demonstrando, quanta damna afferat inordinatum divitiarum, honorum, et voluptatum appetitus; pro qua probatione vide tit. Divitæ, Honor, voluptas.

VII. Ex occasione thematis: *Accessit ad eum*

mater florum Zebedæi, Matth. xx. dicere potest Concionator, reprehensos quidem esse hos filios, quod matrem ad hanc petitionem faciendam instigarent, se autem permittere libere, imo suadere, ad matrem suam, nempe Beat. Virginem, accedant, ut cum ea ad regnum cælestè admittantur. Ostendatur proin, quam merito confugere debeant ad hanc matrem, quia potest impetrare, quod petit, tamquam Mater Christi, cui ille perinde, ut Salomon matri suæ, dicitur sit: *Pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Et vult impetrare tamquam mater viventium; unde recte B. Virginis amor inter potiora signa predestinationis censetur. Vide tit. Hyperdulia.

VIII. Ex occasione thematis: *Dic, ut sedeant, hi filii mei, unus ad dexteram, alter ad sinistram,* potest ostendi, ambitionem esse illegitimum modum perveniendi ad honores, verum autem, et efficacem modum ostendisse Romanos, dum duo templa, alterum honori, alterum virtuti edificarunt tali situ, ut quicumque in templum honoris ingredi vellet, prius per virtutis templum intrare deberet. Ostendatur itaque, virtutem esse optimum medium ad honores obtinendos, conservandos, deponendos. Vide tit. Honor, et Virtus, item Fabrum conc. ii.

IX. Ex occasione thematis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum,* ostendi potest, cur calicem passionis libenter acceptare et exhaurire debeant homines, nempe 1º Propter offerentem, qui est Deus. 2º Propter commemorationem Christi velut summi Imperatoris, et Benefactoris. 3º Propter conformitatem cum Sanctis, qui prius illum exhauserunt. 4º In sanitatem eorum, qui, Deo bene addicti sunt, uti sunt viventes boni, et defuncti. 5º In sanitatem propriam. Quæ omnia vide fusius explicata in tit. Patientia.

X. Ex eodem themate dici potest, si hodie Christus eandem questionem proponeret, multos responsuros: Non possumus; nam alii dicerent, cum sibi immerito offerri: alii, sibi solis exhauriendum quererentur: alii nimis amarum: alii nimis capacem esse, quererent: alii contra personas offerentes exciperent: quas omnes excusationes refutatas vide apud Fabrum conc. v.

XI. Ex occasione thematis: *Nescitis, quid petatis,* ostendendum, quid et quomodo petendum, nempe honorifica Deo, utilia proximo, salubria sibi. Petenda autem ab in

gratia constituto, cum debita resignatione, serio, et ferventer, cum longanimitate perseverantia; de quibus vide tit. Oratio.

XII. Ex occasione thematicis: *Calicem quidem meum bibetis*, ostendatur rationes, cur Deus is, quos præ aliis diligit, calicem passionis exhauriendum propinet, nimirum 1º Ut occasionem majoris gloriæ promerendæ offerat. 2º Ut Christo conformiores sint. 3º Ut contra Diabolum eos persequentem gloriose triumphant, uti fusius probatur in titulo Patientia.

PRO FESTO S. IGNATII.

I. *Sint lumbi vestri præcincti*. LUC. XII. Ostendi potest, quod S. Ignatius generosus quidem miles fuerit ante suam conversionem, ob duas causas. 1º Quia arcem multo nobiliores defendit, scilicet Ecclesiam. 2º Quia generosiori, et feliciori modo eam defendit contra Lutherum, aliosque hæreticos, uti fusius ostenditur in septima instructione mea.

II. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucerne ardentes in manibus vestris*. LUC. XII. Potest zelus S. Ignatii commendari, et dici, quod S. Ignatius sit ille ignis, de quo Christus LUC. II. dixit: Ignem veni mittere, etc. uti ipsum nomen etiam præ se fert, quod unica littera dempta idem significat, ac ignitus seu ignis es tu. Unde ostendendum, quomodo zelum suum instar ignis exercuerit; de quo vide instructionem III. p. 1. et tit. Zelus.

III. *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*. LUC. XII. Dici potest, Deum tempore S. Ignatii merito repetere potuisse illud. ATC. XIII. et PSAL. Inveni David, etc. et quomodo is vere fecerit omnes voluntates ejus, et hinc tanti obedientiam fecerit, ut eam notam, per quam sui socii cognoscerentur, esse voluerit. In altera vero parte ostendatur, quomodo Deus in ipso impleverit, quod de Davide prædixerat: Oleo meo Sancto unxi eum, etc. vide tit. 423. V. Resignatio.

IV. *Beati sunt servi illi*. LUC. XII. Dici potest, Sanctum Ignatium similem fuisse illi mulieri, quæ quondam juveni Religioso Sancti Dominici, cum a Ludovico Rege Galliæ ad magnum Sultanum missus fuisset, occurrit, una manu ignem, altera lebetem aqua plenum tulit, et quid his facere vellet, rogata, respondit, se igne oculum comburere, et

aqua gehennam extinguere desiderare, ut omnes deinceps homines in actionibus suis nihil, nisi gloriam Dei querant. Ostendatur ergo in prima parte, quomodo semper majorem Dei gloriam quæserit *intensive*, faciendo semper, quæ Deo magis placebant, adeoque generose se vincendo, et tribulationes amando, consolationes respuendo, etc. et *extensive*, cupiendo semper plures, et plures ad Dei amorem atrahere; unde dicere solitus erat sociis: *Ite, omnia accendite*. In secunda parte ostendatur, quomodo Deus vicissim majorem gloriam S. Ignatii quæserit, illum tanti Ordinis fundatorem constituendo, tot miraculis illustrem faciendo, Societatem ipsius per orbem universum dilatando, ut in filiis suis magis glorificaretur. Vide tit. Intentio bona. Zelus.

V. *Ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei*. LUC. XII. Dici potest, impletum hoc in S. Ignatio videri, ut, qui talem gratiam convertendi animas habuerit; ut mox, ubi pulsavit, corda ei aperta fuerint; ut ipse Deus aliquando S. Magdalene de Paz. dixerit, maxime felicem spiritum, qui hodie regnat in terra, esse spiritum et zelum S. Ignatii. Qualis autem ille fuerit, dicat Concionator, se in concione demonstratur. In prima ergo concionis parte ostendat, qualis hic spiritus fuerit, quod scilicet homines ad cognitionem, et amorem Dei trahere studuerit; hinc duo erant ipsius desideria: O utinam homines te nossent! Et ite, omnia accendite; huc scholæ, huc conciones, confessionalia, visitationes ægrotum, exercitia spiritalia, tendebant. In secundo ostendatur, hunc spiritum merito felicissimum judicari ob tres causas: 1º Quia efficacissimus est; nam charitas omnem animi languorem sanat, etc. Vide tit. Caritas. 2º Quia hic modus facilis est, et omnes difficultates tollit: nihil enim durum, etc. Vide l. c. 3º Quia gravissimus, et jucundissimus, quia naturale, et jucundum est homini amare, maxime finem, ad quem creatus est, unde S. Augustinus dixit: Verus amor non sentit, etc. Vide l. c. Hinc alibi dixit: «O quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum: et quas amittere, vel dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas, tu vera et summa suavitas; ejiciebas eas, et intrabas pro eis.» Excitantur proin Auditores, ut imaginentur sibi S. Ignatium dicentem: «Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini? Spiritus enim meus

dulcis, et hæreditas mea super mel, et favum.» Et iterum: Venite ad me omnes, etc. MATTH. XI. jugum enim meum suave, etc.

VI. *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*. LUC. XII. Ostendi potest, quam vigilans, et fidelis servus fuerit S. Ignatius, ut qui duo talenta sibi concredita, scilicet intellectum, et voluntatem, tam bene collocavit et duo alia talenta, nempe salutem propriam, et alienam tam sollicitè lucrari studuerit. Unde in duas partes dividi poterit concio, et in prima ostendi, quanta cura in salutem propriam per virtutum studium incubuerit, semper ob oculos habens illud Christi: Quid prodest homini, etc. In secunda vero ostendi potest, quomodo alienæ salutis invigilarit. Pro quo vide tit. ult. V. Zelus.

PRO FESTO S. LAURENTII.

I. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. JO. XII. Dici potest, illatam quidem a plerisque nunc messem corporalem esse; an autem perinde etiam spiritalium intulerint, dubitari merito potest. Verendum profecto esse, ne de laboribus, et actionibus hujus anni multi audiverint illud AGG. XI. c. I. Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum. Quare hoc? quia seminare nesciverunt; quare hæc doceantur. Et in prima parte dicatur, quod S. Laurentius, agrum bonum elegerit, scilicet Christum, in quem semen actionum suarum coniecit, propter ipsum enim Diaconi munus suscepit, et sustinuit, et elemosynas distribuit, martyrium toleravit, ut Ecclesia confitetur, dicens: Laurentius ingressus, etc. Excitantur proin Auditores ad agrum hunc eligendum, utpote bene aratum per passionem juxta illud PSAL. CXXII. Supra dorsum meum fabricaverant (velut alii legunt, araverunt) peccatores, etc. Vid. tit. Intentio. In secunda doceatur, quomodo semen etiam bonum, imo optimum elegerit, scilicet elemosynas, et tribulationes, hæc enim centuplum fructum refert, uti de elemosyna testatus est Christus MATTH. XIX. Amen amen dico vobis, quod omnis, qui reliquerit, etc. de tribulationibus vero S. Paulus Rom. VIII. non sunt condigna, etc. Vide tit. Misericordia, et Patientia. In tertia parte ostendatur, quomodo bene occaverit agrum, et texerit semen

TOMUS V.

juxta illud MATTH. VI. Attendite, etc. thesuros namque in oculo distribuit, nihil faciens favore Imperat. et aliorum. Excitantur Auditores ad idem faciendum. Vide iterum tit. Intentio.

II. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. JO. XII. Ostendatur, quid requiratur ad Christum sequendum, nempe quod ipse MATTH. XVI. dixit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. Dividatur itaque concio in duas partes, et in prima demonstratur, quomodo S. Laurentius abnegaverit semetipsum, pro quo videatur tit. Abnegatio. In secunda ostendatur, quomodo sustulerit crucem, subeundo martyrium, pro quo videatur tit. Patientia et tit. Crux.

III. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. JOA. XII. Ostendatur 1º quid sit odisse se, scilicet bona negare, mala inferre: hi enim sunt actus principales, quos erga odio habitos exercere solemus. 2º Ostendatur, quomodo hoc odium erga se S. Laurentius exercuerit. 3º Ostendatur, quomodo vitam æternam per hoc odium abstinerit, juxta illud Christi MATTH. XIX. Centuplum accipiet, etc. et MATTH. V. Beati, qui persecutionem patienter, etc. Vide tit. Abnegatio, et tit. Patientia.

IV. *Ubiisus ego, illic et minister meus erit*. JOAN. I. Ostendatur triplex titulus, ob quem deceat Christianum ibi esse debere, ubi est Christus, videlicet, quia Christus est Dominus ob creationem, Magister ob instructionem, Redemptor ob redemptionem. Deinde ostendatur ubi fuerit Christus, nempe in cruce; et quomodo ibi etiam fuerit S. Laurentius, et Auditores esse debeant, dicendo cum S. Andrea: O bona crux, etc. et cum S. Paulo ad GAL. V. Absit mihi gloriari, etc.

V. *Si autem mortuum fuerit multum fructum offert*. JOAN. C. II. Excitantur Auditores ad mortem spirituales, exemplo S. Laurentii. Et in prima parte ostendatur, quid sit mori spiritualiter, nempe animam separari a corpore spiritualiter, ut nec divitias, nec voluptates, nec honores hujus mundi desideret, sed his omnibus utatur, tamquam non utatur, id quod colligetur, si hæc omnia sine dolore dimittantur, tunc enim signum est ea adherere; id quod fecisse S. Laurentium demonstratur. In secunda parte ostendatur, quomodo homo mortuus taliter multum fructum afferat Deo et Sanctis per eorum beneplacitum, et honorem: sibi ipsi per beati-

10

tudinem in hac, et in altera vita obtentam: proximo per auxilium et exemplum. Vide tit. Abnegatio, et tit. Exemplum.

VI. *Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* JOAN. XII. Dicatur, hoc vel maxime de divitiis dici posse, quae nisi in agrum pauperum jaciuntur, solae manent, id est, nihil prosunt, si autem in pauperes distribuuntur, multum fructum afferunt. Unde in prima parte ostendatur, quomodo eleemosyna sit danda, nimirum prompte, liberaliter, hilariter, humiliter et quomodo has conditiones impleverit S. Laurentius. In secunda ostendatur fructus, quos affert talis eleemosyna, nempe quos Christus Luc. VII. promisit: Mensuram bonam, in temporalibus juxta exemplum Monasterii, duos Fratres: *Date, et dabitur*: habentis, quod vide tit. Misericordia erga vivos. Mensuram conferentem in gratia et virtutibus: mensuram coagulatam in felicitate morte et liberatione a purgatorio obtinenda: et mensuram superfluentem in gloria caelestis promerenda, pro quorum omnium probatione vid. cit. tit.

VII. Ex consideratione thematis: *Si mortuum fuerit, multum fructum affert*, potest grano eleemosyna comparari, ostendique, quod in hac vita afferat fructum trigessimum in temporalibus bonis obtinendis: in morte sexagesimum propter spem beatitudinis, quae toties in Evangelio misericordibus promittitur certo obtinenda: post mortem centesimum in gloria: qui enim seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet. Vide tit. Misericordia. Item Fabrum. conc. I.

VIII. Ex occasionis thematis: *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet*, ostendi potest, quam vere dicatur de S. Laurentio, quod granum mortuum fuerit morte corporali per discessum animae a corpore, et spirituali per sui abnegationem. Deinde quam copiosum fructum attulerit Deo per gloriam ipsius augmentatam, proximo per eleemosynam, et exemplum fortitudinis, sibi per praemium beatitudinis obtentum. Excitentur proin Auditores, ut saltem spiritualiter mori studeant.

IX. Ex occasione thematis: *Si quis mihi ministraverit, me sequatur*, ostendatur, quomodo S. Laurentius Christum secutus sit cum ipso, et pro ipso moriendo, et quidem morte crudelissima, et quomodo a Christo honorificatus in caelo per gloriam singularem; in terris per cultum specialem suorum clien-

tum; in purgatorio, dum privilegium illi concessit, ut singulis sextis feriis purgatorium ingredi, et animam eripere queat.

X. Ex occasione thematis: *Ubi ego sum, ibi et minister meus erit*, ostendatur, ubi Christus fuerit in hac vita, nimirum 1^o in his, quae Patris sui erant, 2^o in civitatibus beneficiando corporaliter, et spiritualiter, 3^o In cruce et passione. Excitentur proin Auditores, ut etiam in his esse, et occupari studeant, ut aliquando cum Christo etiam in caelis esse possint.

XI. Ex occasione thematis: *Qui odit animam suam, inveniet eam*, ostendatur 1^o quomodo S. Laurentius oderit animam suam, tam crudele ignis tormentum tam fortiter sustinendo. 2^o Ostendatur, quod sicut ille, quorum manus v. gr. ab igne adusta est, eorundem igni admovent, et curant; ita S. Laurentius per ignem amoris divini materialem ignem superavit; unde de eo dictum est: Fortior erat ignis, qui intus arsit, quam qui foris ussit. Videatur tit. Char.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quales fructus seu effectus ignis S. Laurentii in Auditoribus producere debeat, nempe 1^o calefacere, et ad tribulationes fortiter ferendas animare. 2^o Illuminare, ut cognoscamus, quam fideliter, et potenter Deus adjuvet sperantes in se, et pro ejus honore certantes. 3^o Ignem inferni nobis in memoriam revocando, ubi nunquam dici poterit: Assatum est satis; atque adeo efficienda, ut timore illius ignis temporalem ignem tribulationum praesentium facile toleremus. Quem conceptum fusius explicatum vide apud Fabrum conc. VI.

PRO FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

I. *Maria optimam partem elegit.* Luc. X. Ostendi potest, quomodo B. Virgo optimam partem elegerit in bonis corporis, animae, gratiae, gloriae, de quo vide tit. 70.

II. *Assumpta est Maria in caelum.* Ecclesia in officio Festi. Potest explicari triumphus, quo B. V. in caelum deducta est; de quo vide l. c.

III. *Exaltata est S. Dei Genitrix super choros Angelorum.* In officio Festi. Demonstratur magnitudo gloriae, quam in caelo B. V. adeptas est, eum in finem videatur cit. tit. 70.

et ex magnitudine gratiae ostendatur gloriae magnitudo, simulque Auditores ad illam aestimandam, invocandam, et venerandam excitentur; pro quo videatur cit. tit. 70.

IV. *Maria Virgo assumpta est ad aethereum thalamum.* In officio Festi. Demonstratur, B. V. factam esse Reginam caeli, et omnium Sanctorum, et merito, quia plus, quam omnes Sancti, se humiliavit, id quod ostendendum. Dein excitentur Auditores ad eam tanquam Reginam suam salutandam per Antiphonam Ave Regina: ad homagium ei per renovationem formulae Marianae praestandum: ad eandem quotidianis officiis venerandam, et in necessitatibus invocandam; pro quo vide cit. tit. 70.

V. *Exaltata est sancta Dei Genitrix.* In officio Festi. Potest B. V. Arcae Noe comparari, ut indicatur in tit. 70. ubi tamen praecipue insistatur causae finali, et probetur, B. V. amorem esse signum praedestinationis, 1^o ex S. Scriptura; 2^o ex SS. Patribus; 3^o ex revelationibus; 4^o ex historicis variis; 5^o ex amore illius erga humanum genus; pro quo vide Pastorium in Matre admirab. c. xx. p. I. n.

VI. *Maria optimam partem elegit.* Luc. X. et nos vult illius principes facere, dicendo illud VII. Qui me invenerit, invenit vitam, temporalem, et spirituales, aeternam, uti tit. 70. insinuatur.

VII. Ex occasione thematis: *Mariam optimam partem elegit.* Luc. cap. X. ostendi potest quam vere dicatur, B. Virgo optimam partem elegerit ante mortem, dum vitam voluntati Dei undequaque conformem vixit, ubique familiarem suam fomulam: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, usurpando. In morte, dum praesente Christo, et Apostolis ex amore, et absque dolore occubuit: post mortem, dum corpore, et animo assumpta in caelum, exaltata est super omnes choros Angelorum. Unde velut Regina caeli peculiari studio colenda est. Vide tit. Hyperdulia. Item Fabrum conc. V.

VIII. Ex eodem themate ostendi possunt causae tantae exaltationis, scilicet humilitas, obedientia, patientia, ita ut de ea vere dici poterit: Humiliavit semetipsam obediens facta usque ad mortem; propterea exaltavit eam Deus, et dedit illi nomen super omne nomen. Pro quo conceptu vide cit. tit. et Fabrum conc. V.

IX. Ex occasione thematis: *Dic ergo illi, ut me adjuvet*, ostendi potest, cur peculiarem fiduciam ad B. Virginem habere de-

beant Christiani, videlicet 4^o Quia est Mater pulchra dilectionis, praecipue respectu Christianorum velut dilecti populi Dei. 2^o Quia est Mater agnitionis, agnoscens etiam, et remunerans minimum cultum ipsi exhibitum. 3^o Quia est Mater sancta spei, utpote quae nullum unquam ad se confluentem dereliquisse scitur. De quo conceptu vide cit. tit. Hyperdulia et Fabrum conc. VIII.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christum in domo cordis nostri digne excipere possimus, si videlicet juxta exemplum Marthae actiones, labores corporales ad obsequium Christi sedulo peragamus, et juxta exemplum Sanctae Mariae Magdalenae ad pedes Christi suo tempore sedeamus, id est, actiones spirituales, orationis, confessionis, communionis, auditionis Missae, et concionum cum magna devotione persolvamus, quam esse optimam partem, seu efficacissimum medium ad reliquas actiones fructuosius peragendas, fusius demonstratur.

XI. Ex themate, *Optimam partem elegit Maria*, excitari possunt Auditores ad colendam ad honorem hujus Virginis in corde suo originandam similem illi, quam Maximilianus Primus Elector Bavariae in foro medio urbis Monacensis erigi curavit, ita ut pro basi statueretur magna aestimatio de hac Virgine. 2^o Pro columna fiducia erga ipsam. 3^o Pro imagine imitatio ejusdem. 4^o Pro quatuor militibus contra draconem pugnantibus potest statui generosa victoria contra quatuor impedimenta a sincero cultu B. V. absterrentia, Daemone, tepiditate, inconstantiam, diffidentiam. Pro quatuor lucernis statui possunt quatuor modi cultum B. Virginis in aliis promovendi, videlicet desiderio, exemplo, oratione, verbo. Quem conceptum vide fusius explicatum in Instr. 7. Item. tit. cit.

XII. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, multos desiderare ad caelum pervenire, sed non omnes veram, et securam viam amplecti; optimam autem videri B. V. amorem: haec namque est via certissima, quia recte adducit ad caelum. 2^o Via plana, et trita, quia per illam plerique Catholici ad caelum tendunt. 3^o Via securissima, quia, teste S. Bonaventura, non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereae potestates Mariae vocabulum, patrocinium, et exemplum. Vide plura tit. cit. et Instr. 7.

PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI.

I. *Elegit duodecim ex illis.* Luc. vi. demonstrari potest legitima vocatio ad Apostolatam. 1º Quia non proprio motu hoc officium suscepit, sed a Christo ad illud electus est. 2º Quia etiam locum, in quo Apostolatam exerceret, non proprio arbitrio elegit, sed sorte accepit. 3º Quia non exivit, donec virtute indueretur ex alto. 4º Quia pelli, et animæ suæ non pepercit in Apostolatu suo. Unde duo corollaria eruenta pro Auditoribus. 1º Ut inde cognoscant beneficium vocationis ad fidem Catholicam, utpote quæ a personis legitime vocatis propagata est, et etiamnum propagatur, et pro eo gratia agere studeant. 2º Ut, cum quisque ad certum etiam statum vocatus sit juxta illud Proverbum: Sortes mittuntur in signum, et a Domino temperantur: atque adeo cuique persona sua velut in comedia assignetur, quisque vocationi suæ respondere, et personam suam recte sustinere studeat, sciens, non referre, quam personam, sed quam bene agat. Vide tit. Fides, et Acceptio Personarum.

II. *Vente post me, et faciam vos piscatores hominum.* MATH. IV. Ostendi potest, 1º Quam excellens sit officium horumpiscatorum, quod ex præstantia animarum colligi potest, de qua vide tit. Anima. 2º Demonstrari potest, quam sedulo Sanctus Bartholomæus hoc munus veri piscatoris impleverit; 1º Laxando retia in verbo Dei, id est, juxta nutum ejus, sciens aliqui nihil se effecturum juxta illud Christi, Jo. xv. Sine me nihil potestis facere. 2º Indefesso studio, quasi diu nocteque invigilando huic piscationi. 3º Nullam difficultatem aut periculum horrendo, cum etiam mortem ipsam subire non timuerit, et quidem tam crudelem. Unde excitentur Auditores ad salutem, et animas suas æstimandas, ad quarum piscationem tam sollicitus Christus Apostolos vocavit, et isti tanta cegerunt, et passi sunt: deinde vero libenter capi si sinant, id est, doctrinas et fidem verbo et exemplo ab ipsis traditas constanter verbo et opere profitendo. Vide tit. Fides.

III. *Omnis turba quærebat eum tangere.* Luc. vi. Dicit potest, hanc sententiam in alio sensu merito cuius homini applicari, ita ut vere de illo dici possit: Omnis turba quærit

eum tangere, id est, culpæ et detræhere; ac proinde ut vitium hoc summe noxium sedulo vitetur, ostensum iri; quod detractores longe crudeliores sint, quam carnifices S. Bartholomæum excoriantes. Pro quo vide tit. 38. Detractio.

IV. *Vocavit discipulos suos.* Luc. vi. Ostendi potest, quam perfecte Discipuli officium impleverit S. Bartholomæus. 1º Quia implevit primam conditionem a Christo Luc. xv. præscriptam: Qui renuntiat omnibus, etc. 2º Quia doctrinam a Christo MATH. II. datam: Discite a me, quia mitis, etc. accurate implevit, deserendo dignitatem regiam, et humilem statum Apostoli assumendo, et præter eas injurias Tyranni et aliorum cum magna mansuetudine tolerando. 3º Quia ipsi constanter adhaesit, ita ut illud Luc. xvi. audire meruerit: Vos estis, qui permanistis, etc. Excitentur Auditores, ut et Discipuli Christi esse studeant, imitando vitam et mores illius, et magnum in celo præmium expectent. Vide tit. Christus, et Thomam Kemp. I. c. 1.

V. *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione.* Luc. vi. dici potest, Christum hoc suo ascensu in montem breve compendium omnium doctrinarum ad orationem pertinentium reliquisse. Nam 1º dum primariæ actioni, id est, lectioni Apostolorum orationem præmisit, ostendit orationem omnibus actionibus esse præmittendam juxta orationem a S. Thoma indicatam, quam vide tit. Oratio. 2º Dum in montem ascendit, ostendit locum pro oratione eligendum, scilicet solitariam, et a distractionibus liberum, ut olim MATH. VI. monuerat: Tu autem, cum oraveris, etc. 3º Dum pernoctavit, insinavit constantiam, jam olim in parabola amici pauem petentis Luc. II. indicatam. 4º Dum virtus de illo exhibet et sanabat omnes, ostendit fructum orationis, scilicet, quod omnia impetrari per illam possint, uti tum Christus JOAN. XIV. Quodcumque, etc. tum S. Bernardus indicavit, dicens: Nemo, etc. Vide tot. tit. 107. præsertim hanc sententiam.

VI. *Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.* Luc. vi. dici potest, fuisse olim, Regem, qui judicem injustum exoritari jussit, et pellem in sede tribunalis insterni, ut alii judices detererentur: aliter tamen Ecclesiam pellem Sancti Bartholomæi proponere nobis, nempe ut cum ipso pellem antiquam seu malam consuetudinem exere studeamus. Unde in prima parte ostendatur,

quomodo talis consuetudo exui debeat. In secunda, quam gloriosum sit hoc quoque martyrium triplici ex capite 1º. Quia a nobis ipsis inferitur. 2º Quia majori cum violentia et difficultate perficitur. 3º Quia non semel, sed sæpius sustineri debet. Unde merito huc applicari potest illud: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Vide Thom. Kempens. lib. I. cap. xv. tit. Consuetudo et tit. Abnegatio.

VII. Ex occasione thematis: *Vocavit Discipulos, et elegit ex eis duodecim,* Luc. vi. ostendi potest beneficium vocationis ad Catholicam fidem ex triplici capite. 1º Quia ex tot millionibus elegit. 2º Qui immeritis ex sola benevolentia elegit. 3º Quia præ aliis longe innocentioribus elegit. Unde inferatur, quantum deceat, ut Christum vocantem sequantur, eique constanter adhaereant.

VIII. Ex occasione thematis: *Qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur,* ostendatur, optimum et efficacissimum esse remedium contra tentationes luxuriæ frequentem summptionem Eucharistiæ, id quod ex SS. Patrum sententiis et exemplis ostendi potest, simulque doceri, quomodo communio devote et cum fructu peragi queat.

IX. Ex occasione thematis: *Erat pernoctans in oratione Dei,* ostendi potest, cur Christus orationem nobis verbo et exemplo tantopere commendari, nempe ob necessitatem, utilitatem, æqualem, dignitatem, jucunditatem. Pro quibus motivis fusius probandis vide tit. Oratio.

X. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo sine intermissione diu nocteque orare possimus, si scilicet omnia opera ad Dei honorem et gloriam dirigantur et bene peragantur, juxta illud S. Augustini: « Vis semper laudare Deum? Bene fac omnia, quæ agis, et semper laudasti Deum. » Quod genus orationis tria habet privilegia. 1º Quod ab omnibus æqualiter usurpari queat. 2º Quod distractionibus non sit tantopere obnoxium. 3º Quod propter obedientiæ exercitium magis sit gratum Deo, quam orationes proprio arbitrio susceptæ. Vid. tit. Oratio.

XI. Ex occasione thematis: *Omnis turba volebat eum tangere,* ostendatur, hæc verba non male detractibus applicari, ejus vitii gravitas ut ostendatur, probetur, tales detractores carnifices S. Bartholomæum excoriantibus crudeliores esse. 1º Quia autem bono nomini detraxunt, quod est ornamentum animæ. 2º Quia vitam moralem, seu famam

auferunt, vita naturali cariorem. 3º Quia non uni, sed pluribus, scilicet detractiois auditoribus etiam nocent. 4º Quia non semel, sed frequenter detraxunt. 5º Quia non ex obedientia carnifices, sed ex odio et malitia detraxunt; unde graviter plerumque a Deo sunt puniti. Quæ omnia sententiis SS. Patrum et exemplis fusius probari possunt; uti videre licet tit. Detractio.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo detractorem patientes gerere se debeant juxta exemplum S. Bartholomæi, nimirum 1º Cum silentio supportare, et dicere cum S. Augustino: « Senti de me quodcumque vuleris, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. » 2º Ignoscere tamquam cæcis, phreneticis, enervementis a Dæmone impulsis. 3º Orare pro illis tamquam benefactoribus, exemplo Christi dicentis: Pater ignosce illis, etc. 4º Gaudere et exultare juxta monitum Christi, quia merces copiosa in cælis reservatur. 5º Committere Deo famam defensionem cum Josepho Patriarcha, Susanna, et pluribus aliis. Videantur tituli. 200.

PRO FESTO SS. ANGELORUM CUSTODUM.

I. Ex occasione thematis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei,* MATH. c. XVIII. potest 1º Angelica custodia tum ex S. Scriptura et Doctorum consensu, tum ex historiis, tum ratione probari; denique vero etiam ostendi, quod plures quisque Angelos custodes sibi cum aliis communes habeat, utpote singulis mundi partibus, Provinciis, Diocæsesibus, urbibus, Parochiis, domibus, etc., assignatos, de quibus videatur tit. Angelus, et præcipue Faber in Festo S. Michaelis conc. I. conc. x. n. 2. item Paulus Barry fuse integro libro de hac materia discussurus.

II. Ex eodem themate potest magnitudo beneficii per custodiam Angelicam exhibiti demonstrari per verba S. Bernardi: Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit? Quæ quatuor capita fusius deduci et probari possunt, tum ex dicto sermone S. Bernardi de SS. Angelis, tum ex dictis in tit. Angelus.

III. Ex eodem themate declarari possunt beneficia spiritualia SS. Angelorum Custodum ex comparatione liberationis S. Petri

ex carcere, et i. ostendi quomodo adstet consolando, et orationes nostras offerendo. 2^o Illuminando, dum lumen refulsi in habitaculo. 3^o Excitando, dum percusso latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter; ita et nos a somno peccatorum excitat. 4^o Dum ad Petrum dixit: Sequere me, et nos quoque ad sequendum in via incitat. 5^o Dum per custodias illesum duxit: et nos quoque per tentationes ducit illesos. 6^o Dum sicut S. Petrum in libertatem duxit, ita et nos ad cœlum; quæ omnia fusius probata vide apud Fabrum conc. II. in Festo S. Michaelis.

IV. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quæ beneficia corporalia exhibent SS. Angeli custodes: nimirum 1^o Quod ut S. Tobias fecit, ducant et comitentur ad locum, ad quem peregrinantes tendimus. 2^o Victum procurent. 3^o Nuptias prosperent. 4^o Hostes percipiant. 5^o A periculis custodiant; 6^o Medicinas preparant. 7^o Omni bono repleant. Unde excitandi Auditores, ut gratos, se pro tantis beneficiis exhibeant, et S. Custodi pro omnia obsequentes se præbeant, et magnam ad eum fiduciam concipiant. Vide Fabrum conc. III. in Festo S. Michaelis.

V. Ex occasione ejusdem thematis ostendatur, quid Angelo vicissim debeamus, videlicet, ut S. Bernardus suadet, reverentiam pro presentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Quæ proin tum ex ipso Sermone S. Bernardi, tum ex dictis cit. tit. fusius deduci possunt. Videatur etiam Faber conc. v. ubi alia sex obsequia illis deberi probat, nimirum honorem, timorem, amorem, familiaritatem, obedientiam, et imitationem.

VI. Ex eodem themate ostendatur, quomodo Angeli Custodes comitis officio erga nos fungantur, et 1^o Sint periti viæ, per quam tendimus ad patriam. 2^o Sint fideles juxta S. Bernardi testimonium: « Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; tantum adhareamus ei, et in protectione cœli commorabimur. » 3^o Sint jucundi, et amabiles, ut imagines eorum ostendant. Quæ omnia per exemplum Tobie junioris probari possunt.

PRO FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

I. *Jacob autem genuit Joseph virum Ma-*

rie. MATTH. I. Potest explicari nomen Mariæ, et variæ doctrinæ ad cultum Virginis pertinentes erui. 1^o Quod significet idem, ac *congregatio aquarum*, id est, omnium perfectionum in aliis Sanctis reperatarum; unde magna æstimatio velut fundamentum cultus Mariani concipienda; pro qua vide tit. 70. 2^o Quod idem significat, ac *stella maris*, uti ab Ecclesia salatur: Ave maris stella; ad portum salutis dirigens, uti tum sententia l. c. tum exemplis demonstrandum erit, ex quo fiducia concipienda; pro qua vide l. c.; 3^o Quod idem significet, ac *Dominica*, uti S. Bernardus, quem vide. Quid nos, etc, et S. Gerardus, quem vide, ostenderunt, unde veneratio hujus Dominice eruenda; pro qua vide l. c.

II. *Ave maris stella*: Ecclesia in hymno. Ostendi potest, quomodo B. Virgo sit vera stella maris, prout ostenditur tit. 70. unde fiducia singularis concipienda juxta monitum S. Bernardi: in periculis, in rebus dubiis respice stellam, voca Mariam, non recedat ab ore, non recedat a corde.

III. *Oleum effusum nomen tuum.* CANT. I. Potest excellentia hujus nominis explicari ex comparatione cum oleo, juxta cit. tit. 70. pro quo scopo dilatando videatur l. c.

IV. *Nativitas tua gaudium attulit universo mundo.* In officio. Potest ostendi, quomodo hæc nativitas attulerit gaudium juxta l. c. excitandi proin Auditores, ut ipsi vicissim studeant gaudium facere, juxta illud Apostoli: Gaudium meum, et corona mea estis. Aurea utique per amorem Dei et hujus Virginis.

V. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens.* CANT. VI. Potest B. Virgo auroræ surgenti comparari, ut videre licet tit. 70. unde spes et fiducia commendanda, et maxime vita bona juxta illud Apostoli: Fratres, hora nunc est de somno surgere, etc.

VI. *Arcum meum ponam in nubibus, ut sit signum fœderis inter me et te.* GEN. IX. comparari potest B. Virgo Iridi, et præcipue propter significationem pacis inter Deum, et homines, atque adeo, quia est signum prædestinationis. Dein excitari, ut servent consilium Ecclesiastici hortantis: (id est, oculos ad illum per fiduciam, et venerationem attolle) et benedic Deum, qui fecit illum. Vide tit. 70.

VII. Ex occasione thematis: *Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ.* MATTH. I. ostendi potest, quam vere Ecclesia de hac S.

Virgine canat: Nativitas tua gaudium attulit universo mundo, nempe Deo, Angelis, parentibus, Patribus in limbo, animabus purgatorii, hominibus viventibus. Dein ostendatur, quomodo Auditores simile gaudium creare possint, si cum ea spiritualiter renasci studeant. Vide tit. Hyperdulia, et Faber conc. VI.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod nomen Mariæ sit post nomen Christi nomen super omne nomen, ut in nomine Mariæ flectantur genera cœlestium, terrestrium, et inferorum, id quod sententia SS. PP. et historis ex cit. tit. petitis probari potest.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod ex ipsa significatione nominis Mariæ innuatur modus eam rite colendi. Nam 1^o dum significat *congregationem aquarum*, seu gratiarum cœlestium, innuitur primus modus colendi, seu æstimatio major, quam omnium Sanctorum. 2^o Dum idem significat, ac *stella maris*, innuitur fiducia erga ipsam concipienda, juxta illud S. Bernardi: In periculis, in dubiis respice stellam, voca Mariam. 3^o Dum idem significat, ac *Dominica*, innuitur cultus per varia obsequia, ac devotiones exhibendus. De quibus vide citat. tit. Item Fabrum conc. VIII. et IV.

X. Ex eodem themate ostendatur, B. Virginem esse nubeculam parvam a puero Eliæ in Carmelo visam, quæ signum fuit copiosæ pluvie subsequituræ; nam 1^o erat parva per humilitatem. 2^o Ascendebat de mari infinite patientiæ, et misericordiæ Dei. 3^o Crevit, et cœlum obduxit, facta mediatrix inter cœlum, et terram. 4^o In pluviam copiosam gratiarum hominibus communicatarum resoluta est. De quibus vide cit. tit. ac Pistorium in Matre admirabili conc. V.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod, cum Ecclesia canit de B. V. quod Nativitas ejus gaudium attulerit universo mundo, ideoque causa nostræ hœsitæ dicatur, recte cellæ vinarie comparetur, quia 1^o erat profunda per humilitatem. 2^o Instructa optimo vino gratiarum, et consolationum cœlestium. 3^o Ampla per misericordiam universis exhibitam. 4^o Semper aperta per amorem, et promptitudinem exaudiendi, et succurrendi; unde merito omnes illius servi dicere possunt cum Sponsa: Introduxit me Rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem.

XII. Ex eodem themate ostendi potest,

cur B. Virgo lunæ comparetur, et pulchra ut luna dicatur: 1^o Quia, sicut Christus sol seu luminare majus, ita ipsa luna velut luminare minus vocatur. 2^o Sicut luna omne lumen a sole accipit, ita ipsa respectu ad Christum omnem suum splendorem accipit, quia videlicet est mater ejus. 3^o Quia et luna splendore reliqua sidera, ita ipsa omnes Sanctos dignitate superat. 4^o Quia ut luna plena erat omnibus gratis, hinc Angelus ei dicebat: Ave gratia plena. 5^o Quia ut luna exercebat dominatum in sublunaria per influentias suas. Hinc rectius quam Judæi et Saraceni lunam materialem, Christiani hanc lunam spirituales salutant, adorant, et omni studio venerantur. Vide citat. titulum.

PRO FESTO S. MATTHÆI.

I. *Videt hominem sedentem ad telonium, Matthæum nomine.* MATTH. XIV. Proponi potest omnibus peccatoribus in exemplum S. Matthæus, et dici: Aspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est. Ostendatur itaque 1^o qualis status fuerit S. Matthæi ante conversionem, quomodo propterea ipse non desperaverit; pro quo vide tit. Deus. 2^o Qualis fuerit status illius in conversione, scilicet quod statim secutus sit Christum vocantem, et telonium dimiserit: unde discant peccatores non differre penitentiam; pro quo vide tit. Penitentia. 3^o Qualis fuerit post conversionem, quod scilicet impleverit illud S. Augustini: « Quales impetus habebas ad mundum, tales habebas ad artificem mundi; hinc antea divitias amabat, postea paupertatem; antea injustitiam, postea justitiam; antea mala opera, postea bona; antea odium Dei, et proximi, postea amorem. » Vide totum tit. Penitentia, et præcipue tres illius gradus.

II. *Sequere me.* MATTH. XIV. Potest ostendi suavitas et efficacia vocationis divine, quæ in tribus eluxit: 1^o Quod tam *benigne* vocavit, non respiciendo priorem statum S. Matthæi: ubi proderit exemplum de Monacho converso ex hoc motivo narrare, tit. Penitentia. 2^o Quod *potenter* vocaverit, efficiendo, ut mox telonium tantopere amatum relinquere, ubi ostendenda consuetudinis potentia, ut magis potentia gratiæ eluceat. Vide tit. Consuetudo, et tit. Gratia. 3^o Quod

suaviter vocarit, scilicet per internam illustrationem, per quam amorem Dei erga se, et beneficia agnovit, et sic tam benignum Deum offendere amplius noluisset. Excitentur proin Auditores, ut et ipsi experiri velint efficaciam vocationis divinae, et illud Psalmistae Ps. xciv. sibi applicent: Hodie si vocem ejus audieritis, etc.

III. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* MATTH. IX. Potest afferri triplex motivum ad agendam poenitentiam, quod velut funiculus triplex difficultatem frangi potest, nempe aequitas, utilitas, et securitas poenitentiae; de qua vide tit. Poenitentia.

IV. *Et surgens secutus est eum.* MATTH. IX. Possunt afferri excusationes peccatorum, ob quas plerumque poenitentiam differunt, et tum exemplo S. Matthaei, tum efficaciam rationibus refutari; pro quo scopo vide tit. Poenitentia.

V. *Misericordiam volo, et non sacrificium.* MATTH. IX. Potest misericordiae exercitium commendari, eumque in finem: 1° Natura illius describi, quem in finem serviat tit. Misericordia. 2° Modus eandem exercendi explicari, qui ibid. videri potest.

VI. Ex occasione ejusdem thematis dicere potest Concionator, se audeat facinus in praesenti concione commissurum esse, nimirum Auditores ad fœnerandum incitaturum, cum tamen Christus S. Matthaeum inde abstraxerit: pertracturum se tamen in proposito, et tanto laudabilior est fœneratio, quam perstaturus est, ea nempe, quam jam olim Salomon Prov. XIX. commendaverit, dicens: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Ostendatur ergo, quomodo fœneratio ista peragenda, et quas ob causas; pro quo vide tit. 95. Ubi etiam plures conceptus de Misericordia reperiuntur.

VII. Ex occasione thematis: *Sequere me,* MATTH. IX. ostendi potest causa, cur S. Matthaeus Christum tam celeriter secutus sit, quia nimirum vox illius erat vox potentis, sapientis, amantis, praemiantis, quas voces plerumque libenter sequuntur homines; quem conceptum fusius explicatum vide tit. Obediencia.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quam recte dixerit Siracides c. xxiii. quod magna gloria sit sequi Dominum, quia servire Deo regnare est; nam in hac vita, teste Seneca: « Rex est, qui metuit nihil; rex est, quiae cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat; » in altera vita vero regnum caelorum, in

quo est omnis mali absentia, omnis boni praesentia, et utriusque perpetua indesinentia. Insetur proin, quam optandum sit duplex hoc regnum, quamque adeo propter illud Christus libenter sequendus.

IX. Ex themate: *Surgens secutus est eum,* indicari possunt potissima impedimenta, ob quae multi Christum sequi detrectant. Nimirum. 1° Quia tenet eos inveterata consuetudo, quae est altera natura; unde, teste S. Chrysostomo, nihil tam firmum est in rebus humanis, quam veteris consuetudinis tyrannis. 2° Amor possessionum; uti expertus est adolescens ille Evangelicus, qui, quia multas habuit possessiones, Christum sequi renuit. 3° Horror difficultatis et labor certaminis, qui, teste Thoma Kemp. praecipue impedit a profectu et ferventi emendatione vitae. Qua re ostendendum, quomodo haec impedimenta removenda sint; de quo vide tit. Consuetudo, et Mortificatio, et Divitiae.

X. Ex occasione thematis: *Misericordiam volo, et non sacrificium,* ostendi potest, cur Deus misericordiam tantopere velit, nimirum. 1° Quia Patri caelestis similes facit, juxta illud Christi Luc. vi: Estote misericordes, sicut Pater vester caelestis misericors est. 2° Quia sibi factum putat Deus, quod uni ex minimis praestatur; unde quo liberaliores nos erga ipsum ostendimus, tanto liberaliorem ipse se vicissim exhibet. 3° Quia dilectionem mutuum a Christo tantopere commendatam conservat; hinc Christus in processu iudicii descripto solius misericordiae rationem habiturum se dixit. Excitentur proin auditores, ut hoc triplici vinculo adstricti, totos se misericordiae addicant. Vide tit. Misericordia.

XI. Ex eodem themate potest ostendi ratio, cur tam pauci misericordiam ament et exerceant, nimirum quia excusatos se putant, 1° Quod ipsimet nihil habeant. 2° Quod census minuatur per eleemosynas. 3° Quod nullum effectum sentiant. 4° Quod liberis et amicis servare bona sua debeant. 5° Quod in morte dare velint. Quas omnes excusationes ut frivolas refutare oportet, ut tit. cit. videre licet.

XII. Ex eodem themate ostendi potest modus misericordiam exercendi, nimirum: 1° Ut mundo corde offeratur. 2° Ut cum bona intentione. 3° Ut cum hilaritate, hilarum quippe datorem diligit Deus. 4° Ut cum celeritate; Qui enim cito dat, bis dat. 5° Ut cum liberalitate, juxta monitum Tobiae:

Quantum poteris, esto misericors. 6° Ut cum constantia fiat. Quas omnes condiciones vide explicitas cit. tit.

PRO FESTO S. MICHAELIS.

I. *Quis putas major est in regno caelorum?* MATTH. XVIII. Ostendendum, quod S. Michael merito supremus inter Angelos censeatur ob tres causas. 1° Quia praereliquis seipsum vicit, subjiciendo se Deo, quod ipsi utpote digniori longe difficilior erat, quam alicui inferiori; hanc autem victoriam esse causam majoritatis, colligitur ex noto illo: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. 2° Quia praereliquis plus amavit Deum et aestimavit dicendo: Quis ut Deus? Unde dicere poterat: Amor meus, pondus meum; charitatem autem esse mensuram dilectionis, in tit. Charitas demonstratum est. 3° Quia praereliquis officium altius accept, scilicet ut esset protector totius Ecclesiae, officium autem sequitur honor et aestimatio; unde auditores excitandi, ut magni faciant S. Michaellem, ut colant, ut ejus protectioni se committant. Vide tit. Angelus, et tit. Humilitas.

II. *Michael Archangele, veni in adiutorium populo Dei.* In Breviario. Narrari potest, quod MATTH. XV. legitur de Jeremia, quod scilicet prius Onias de ille dixerit: Hic est fratrum amator, etc., et ipse Judae gladium aureum dederit, dicens: Accipe sanctum gladium, etc. Quae omnia S. Michaeli applicari possunt, dicitur, quod gladius iste aureus nihil sit, quam verba illa, quibus S. Michael Luciferum vicit: Quis ut Deus? Ostendatur itaque, quomodo illo uti debeant auditores. 1° Contra mundum, quando hic ad sibi serviendum invitatur: Quis ut Deus? Tam bonus, tam sapiens, tam potens, qui servitium aequae praemiare solet? 2° Contra carnem, si ad voluptates invitatur: Quis ut Deus? Qui tam sincerus, honestus, constantes voluptates offerat? 3° Contra Diabolum ad superbiam et ambitionem incitantem: Quis ut Deus? Tam magnus tantopere honorans suos, et veros honores tribuens? Vide tit. Deus, et tit. Mundus.

III. *Veruntamen re homini illi, per quem scilicet datum venit.* MATTH. XVIII. Explicari potest natura scandali, et quomodo parvulorum praecipue scandalum sit vitandum. 1° Quanta damna inferat ipsis scandalizatis, quibus

causa peccatorum et suppliciorum plurimorum existit: reipublicae, cujus membra corrumpit: caelo, cui plurimos incolae subducit, atque adeo etiam honorem et gloriam subtrahit. Vide tit. Peccatum.

IV. *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* MATTH. XVIII. Ostendendum in quo parvuli imitandi, nempe in innocentia; nihil enim coinquinatum intrabit in regnum caelorum. 2° In humilitate, ut neque nos ipsos magnificamus, nec ab aliis magnificari desideremus. 3° In simplicitate, ut alios non judicemus, etc. Vide tit. Humilitas, et Judicium temerarium.

V. *Quicumque susceperit parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* MATTH. XVIII. Ostendatur in primis, quomodo parvuli, vel alii homines suscipi debeant in nomine Christi, scilicet propter ipsum varia illis beneficia conferendo, quocirca aliqua ex operibus misericordiae enarrari possunt. Deinde ostendatur, quantum fructum et solatium ex tali exercitio reportaturi sint auditores, si meminerint se omnia Christo facere, et perinde praemiatum iri, ac si Christo in propria persona exhibita fuissent. V. tit. Misericordia, et Dilectio proximi.

VI. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* MATTH. XVIII. Commendari potest oculorum custodia, et 1° ostendi, quanta damna ex oculorum neglecta custodia exorta sint. 2° Quanta commoda afferat oculorum custodia. 3° Quae media ad hanc custodiam adhibenda sint. Praecipue autem id, quod a Sylvano adhibitum est, dicente: « Si ad aliquid inordinate videndum invitamini, claudamini oculi mei, et ad meliora gaudia vos servate. » V. tit. Oculorum custodia.

VII. Ex occasione thematis: *Angeli enim eorum in caelis vident semper faciem Patris mei.* MATTH. XVIII. Potest in primis ostendi gloria S. Michaelis, ut qui in locum supremi olim Angeli substitutus sit. Deinde vero causa hujus gloriae ostendi, scilicet victoria sui, de cujus victoriae excellentia reliqua in parte concionis tractetur; pro quo conceptu videri possunt tituli de Abnegatione et Mortificatione.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quo praecipue medio supremum inter Angelos gradum obtinuerit S. Michael, nempe. 1° Quia Christum praereliquis agnovit, et confessus est. 2° Quia eidem se praereliquis subiecit. 3° Quia praereliquis illum specialiter hono-

ravit. Unde et Auditores excitentur ad hæc tria officia erga Christum exercenda, ut a Deo exaltari mereantur.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, cur S. Michael specialiter a Christianis honorandus et colendus sit; nempe 1^o propter Deum, quem S. Michael præ cæteris Angelis amavit, et coluit, quod beneficium pluris æstimare debemus, quam si nobis fuisset collatum. 2^o Propter Matrem Ecclesiam, cuius specialis custos et defensor est. 3^o Propter ipsius personam, quia, sicut dignior est omnibus aliis Angelis, ita etiam præ illis honorari meretur. 4^o Propter beneficia hominibus concessa (dum summum illorum hostem Luciferum vicit), et adhuc concedenda in morte, dum animas nostras iudici sistit, eumque conciliat, easque in Patriam paradisi perducit; unde cum magna fiducia invocandus per verba Ecclesiæ: S. Michael Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo iudicio.

X. Ex occasione thematis: *Quis putas major est in regno cælorum?* ostendi potest humilitatem esse illam virtutem, ob quam quis præ aliis exaltari mereatur, iuxta illud Christi: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Deinde ostendi potest, quomodo S. Michael præcipuum humilitatis actum exercuerit, qui est subjicere se Deo, cuius actus natura, æquitas, et excellentia fusiis declaratur, tum ex iis, quæ tit. Humilitas dicuntur, tum ex Alphonsi Rodrig. p. III. tr. 3. c. XXXI et XXXII.

XI. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te,* potest dici, quod hæc sententia locum habeat non tantum in oculis, sed reliquis etiam sensibus, ut qui frequenter adeo scandalizant, id est, inducunt homines ad peccandum, ut merito de illis dici queat: *Mors ascendit per fenestras, quod inductione facile probari potest.* Deinde ostendatur, quomodo hi sensus arui, seu mortificari per mortificationem debeant; de quo vide tit. Mortificatio, Oculorum custodia, Luxuria, Gula, et Ebrietas. Item Julium Tantium de Mortif.

XII. Ex occasione thematis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris,* ostendi potest, quomodo ii, qui aliorum curam gerere debebant, in eadem Angelos imitari debeant. Et 1^o quidem eam cum summa promptitudine suscipere, etiam si unus tantum, isque vilissimus vel rudissimus committatur. 2^o Omnem conatum in ea gerenda adhibere,

et non deserere, etiam si fructus non sequatur; nihil autem de propria perfectione perdere. 3^o Non tristari ob frustraneum laborem, æquali quiete curam relinquere, qua suscepti, fructum omnem Deo adscribere. Vide plura suo loco.

PRO FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

I. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* JOAN. XV. Potest dilectio proximi commendari, et in prima parte ostendi, quomodo diligendus sit proximus; pro quo videatur tit. 44. Vide dilectio proximi. In secunda parte ostendatur, cur diligendus sit, scilicet ob triplicem causam, de qua agitur l. c.

II. Ex eodem themate ostendi potest fructus dilectionis per notum axioma: *Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur;* et in prima parte ostendi, in quo consistat vera concordia, in secunda, quomodo ea faciat crescere in bonis temporalibus, spiritualibus, æternis; de quo vide tit. 44.

III. Ex eodem themate declarari potest modus juvandi proximum, scilicet precibus, exemplo, opere, veluti triplici funiculo qui difficulter rumpitur; de quo vide l. c.

IV. Ex eodem ostendi potest modus, et commoda dilectionis ex comparatione triplici membrorum, ut scilicet caput se recte habeat erga membra, membra inter se; quam comparationem propositam vide tit. 44. Deinde etiam ostendatur fructus ex hac constitutione membrorum oriri solitos, scilicet sanitas (qua nihil est optabilius), mutuum auxilium, jucunditas vitæ; de quibus vide dictum titulum.

V. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* JOAN. XV. Ostendatur, quomodo se in omnibus casibus adversis, præsertim in persecutione honorum temporalium famæ, et corporis per tormenta vel plagas solari debeant exemplo Christi, et illud pro myrotocio (*sur ein Balsam-Buchslein*) habere. In secunda parte ostendatur quale robur, et solatium per hoc exemplum sint reportaturi; pro quo scope videatur tit. Passio Christi, et Exemplum.

VI. *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* JOAN. XV. Ostendi potest 1^o quantus sit favor, et gratia, si quis a Christo electus sit, ut sit amicus, et cohe-

res illius, id quod tum ex dignitate personæ, cum qua amicitia contrahitur: tum ex magnitudine gloriæ et felicitate, quæ ex hac amicitia oritur, demonstrari potest; pro quo vide tit. Beatitude, et tit. Gratia. In secunda parte ostendi potest, quomodo tristari non debeant ob varias persecutiones, eo quod hoc sic signum electionis, et prædestinationis ad vitam æternam, atque adeo in mente semper habere debeant illud Christi MATTH. VI. *Beati estis, cum maledixerint, etc.*

VII. Ex occasione thematis: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* JOAN. XV. potest causa ostendi, cur mundus odio habeat sectatores Christi, scilicet, quia ut impii SAP. c. II. dixerunt: *Inutilis est nobis, contrarius est operibus nostris, et impropereat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplina nostræ;* quæ quatuor capita fusiis deduci possunt, simulque ostendi in secunda parte, quam longe alia olim in die iudicii universalis dicturi sint, nimirum: *Hi sunt, quos habuimus in derisum, etc.* SAP. v. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Vide plura c. tit.

VIII. Ex occasione thematis: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur,* ostendi potest triplex titulus, cur persecutiones quisque libenter tolerare debeat, nimirum 1^o Quia non est servus super dominum. 2^o Quia non est discipulus supra magistrum. 3^o Quia non est creatura super Creatorem; qui omnes tituli non difficulter fusiis explicari et non modice ad persecutiones fortiter tolerandas excitari possunt. Vide in Bibl. tit. Patientia. Item Auctarium eod. tit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod nostra vita sit velut Academia, in qua discitur ars amandi Deum; unde sicut in Academicis doctores ad publicam disputationem admittuntur, in qua varii oppugnantes constituuntur, quibus in fine gratiæ aguntur pro optimis, et doctissimis argumentis; ita id ipsum in hac vitæ Academia fieri solere, unde persecutiones pro magno beneficio habendo, et gratiæ potius agende, quam indignatio concipienda. V. tit. cit.

X. Ex occasione ejusdem tituli in memoriam revocari potest sententia Christi MATTH. v. prolata: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me: gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Ostendatur ergo cur copiosa sit, nempe 1^o Quia famæ rerum omnium pretiosissima jactura patienter toleratur. 2^o Quia Deo defensione famæ cum magna fiducia committitur. 3^o Quia per tales persecutiones homo Christo similior redditur, ut qui semper habuit contradictores, ut ipse quondam S. Virgini fassus est. Vide tit. cit.

XI. Ex occasione thematis: *Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis,* ostendi potest, quomodo exemplum Christi sit efficacissimum medium ad persecutiones fortiter tolerandas. 1^o Quia ostendit, non mirari, nec tristari nos debere ob tales persecutiones, cum Christus ipse ut caput nostrum liber ab illis non fuerit, ut qui positus erat in signum contradictionis. 2^o Quia ostendit modum tales persecutiones sufferendi, quem ipse indicavit dicens: *Obmutui, et non aperui os meum, cum consisteret peccator adversum me.* 3^o Quia etiam fructum talium persecutionum fortiter toleratarum ostendit, dum dixit, *copiosam fore mercedem in cœlis.* Vide Fabrum conc. IV.

XII. Ex occasione thematis: *Si opera non fecissem, peccatum non haberent,* ostendi potest, quomodo opera Christi omnem excusationem sint ademptura, cur pie non vixerimus. 1^o Quia erant opera communia ad facilem imitationem ordinata. 2^o Quia erant opera miraculosa, doctrinas a Christo datas efficaciter confirmantia. 3^o Quia erant opera utilissima, ad summam beatitudinem in hac, et altera vita acquirendam ordinata; quæ tria capita merito quemvis ad imitationem provocare debeant, cum homines opera longe viliora plerumque imitari soleant. Vide Thom. Kemp. lib. III. cap. III.

PRO FESTO OMNIUM SANCTORUM.

I. *Beati estis.* MATT. v. Ostendi possunt cause, cur hos Festum institutum, et cum magna lætitia, et devotione celebrandum sit; quas vide tit. 128. v. Sanctorum cultus. In secunda ostendi potest, in quo lætitia et devotio ista consistat, nempe ut Deo gratias pro gloria ipsis collata agamus; ut ipsis gratulemur ex animo suam felicitatem: et tandem ut ipsos frequenter et serio invocemus, eumque in finem variis obsequiis demereamur; pro quo scope vide cit. tit.

II. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Ps. CL. Explicari potest modus, quo Sancti